

sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest 3
cibus nec corpori accedit qui statim sumptus emittitur; nihil
aeque sanitatem inpedit quam remediorum crebra mutatio;
non venit vulnus ad cicatricem in quo medicamenta temptan-
5 tur; non convalescit planta quae saepe transfertur; nihil tam
utile est ut in transitu prosit. Distringit librorum multitudo;
itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est
habere quantum legas. 'Sed modo' inquis 'hunc librum 4
evolvere volo, modo illum.' Fastidientis stomachi est multa
10 degustare; quae ubi varia sunt et diversa, inquinant non
alunt. Probatos itaque semper lege, et si quando ad alios
deverti libuerit, ad priores redi. Aliquid cotidie adversus
paupertatem, aliquid adversus mortem auxili compara, nec
minus adversus ceteras pestes; et cum multa percurrens,
15 unum excerpe quod illo die concoquas. Hoc ipse quoque 5
facio; ex pluribus quae legi aliquid adprehendo. Hodiernum
hoc est quod apud Epicurum nactus sum (soleo enim et in
aliena castra transire, non tamquam transfuga, sed tamquam
explorator): 'honestas' inquit 'res est laeta paupertas'. Illa 6
20 vero non est paupertas, si laeta est; non qui parum habet,
sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert quantum illi
in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat aut
feneret, si alieno imminet, si non acquisita sed acquirenda
computat? Quis sit divitiarum modus quaeris? primus habere
25 quod necesse est, proximus quod sat est. Vale.